

abhorrere soleo. Sed jam taedium quoque hocce non minus quam pigritiam illam auctore Reisigio feliciter vici, et has quoque varias lectiones ad calcem libri enumeravi. Sed haec res postulat etiam, ut, quod jam in priore volumine facere debebam, codices Parisinos paullo accuratius describam, idque mox faciam, postquam, quod tertio loco mihi objecit Reisigius, purgavero. Ut enim ne iis quidem lectionibus, quas Brunckius et Buttlerus attulerunt, me satis diligenter usum esse demonstret, ex primis CCL Promethei versibus exempla quaedam omissarum a me lectionum congescit, quae, si aut omnia vera essent aut totidem in reliquis quoque a me neglectas esse inde sequeretur, turpissimae profecto incuriae me arguerent. Sed statim quod primum reprehendit, me v. 28. ἀπὴύρω ex Regg. A. B. non laudasse, id nihili est faciendum; ἀπὴύρω enim illo loco vulgata est lectio, quam quum in textu dederim, in nota autem monuerim, ἀπύρω in Ald. ἐπὴύρω in Med. et cod. Steph. legi, quisque intelligit, ἀπὴύρω non solum in Regg. A. B., sed etiam in reliquis libris omnibus praeter eos, ex quibus aliam lectionem attuli, legi, et si Regg. A. B. nominassem, eodem jure reliquos quoque codd. et edd. omnes enumerandos fuisse. Nam si id postulatur, ut ii quo-